



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Oviedo, Francisco de

Lvgdvni, M.DC.LI.

IV. Quomodo prædicetur genus de indiuiduis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

Philosophi 4. Topicor. cap. 3. ubi hæc habet: *Quoniam omnis generis plures species, inspicendum, si non contingit alteram speciem esse dicti generis. Nam non si est, manifestum quoniam non erit genus omnino, quod dictum est.* Quibus verbis docet expressè Philosophus non posse dari genus non respiciens plures species. Accedit discursui supra facto, quod illum rursus explicabit, genus tantum dici partem materialem non physicam, sed per analogiam, & similitudinem: ergo ablata similitudine, quam habet ad materiam, aufertur ab illo tota ratio partis materialis. Huc usque firmus est discursus, pergo ulterius: sed tota similitudo generis cum materia in eo sita est, quod natura generica sit contrahibilis per formas, & quod indifferens sit ad illas: ergo hac similitudine ablata aufertur tota ratio generis. Sed hæc similitudo aufertur ab animali si nunquam separaretur à rationali, quia tunc non contraheretur per rationale, tanquam quid superius, seu indifferens ad hoc ut illi adiungeretur, vel non adiungeretur rationale, illud enim per modum adjacentis alij contemplamur, quod aduenit subiecto indifferenti ad illud: ergo auferretur tota ratio similitudinis, quam habet animal in ordine ad rationale cum materia in ordine ad formam: ergo auferretur tota ratio generis.

6 Sentio insuper genus ex se indifferens ut contrahatur à pluribus speciebus, à quibus abstrahitur, iam semel ab his abstractum, per ordinem ad individua vnius speciei alijs secluis posse considerari ut genus essentialiter, licet non integraliter completum. Ratio est, quia animal abstractum ab homine, & equo prædicatur per modum partis materialis de omnibus individuis omnium specierum: ergo de individuis speciei hominis: ergo in ordine ad individua speciei hominis habet prædicari de pluribus individuis, et si eiusdem speciei per modum partis materialis: ergo habet rationem essentialem generis, quæ consistit in hoc quod est prædicari de pluribus per modum partis materialis, quomodocumque hæc plura specie inter se differant, ut probabat ratio dubitandi initio Puncti adducta. Genus in ordine ad hæc individua non habere totam suam latitudinem integram certum est, cum genus ex se æquè prædicetur de omnibus individuis omnium specierum, & de omnibus speciebus. Sententia hæc à nobis tradita poterit explicari dicendo genus ratione vniuersalitatis contentum esse pluribus individuis eiusdem speciei, ratione verò materiæ, à qua illius abstractio est faciendæ essentialiter requirere plures species, quia ad hoc ut sit pars materialis respectu plurium individuorum eiusdem speciei, essentialiter requirit esse abstractum ab individuis speciei differentibus, seu à pluribus speciebus.

7 Obiicies: Etiam si tantum individua hominis essent possibilia, homo haberet eandem essentiam, ac nunc habet: sed nunc non pertinet ad illius differentiam constitutionem prædicatum sensitiui: ergo neque tunc ad eandem differentiam pertineret. Respondeo in utroque casu hominem eadem prædicata essentialia esse habiturum, in utroque enim casu esset essentialiter sensitiuus & rationalis, illius tamen prædicata non habitura eandem vniuersalitatem, quam nunc habent, quia prædicatum animalis, quod modò concipitur commune homini, equo, & leoni, tunc conciperetur proprium hominis, & non communicabile alteri, ex quo fieret tunc dicendum esse prædicatum illud pertinens ad speciem subalternam animalis, quod extrinsecum est homini, & animali secundum se sumptis.

8 Obiicies secundò. Potest dari materia prima physica contrahibilis tantum per vnam formam specificam, seu per formas individuas vnius tantum speciei: ergo potest dari materia metaphysica tantum contrahibilis per individua vnius speciei: Respondeo dato antecedenti negando consequentiam, quia tota ratio materiæ metaphysicæ in materia generica sumitur ex similitudine, quam habet cum materia, quam modò agnoscimus, in hoc, quod est esse indifferens ut contrahatur per plures differentias, si materia est indifferens, ut contrahatur per plures formas, & ita hac ablata similitudine aufertur tota ratio materiæ metaphysicæ, licet non auferatur ratio materiæ physicæ, ex eo, quod auferatur indifferencia ad plures formas, quia potest excogitari alia formalitas, in qua constituitur formalis ratio materiæ physicæ. Quod si intes posse reperiri in prædicato metaphysico aliam similitudinem cum materia physica, ratione cuius possit dici ana-

logicè materia metaphysica ablata indifferencia ad plures differentias specie distinctas, dicam ego hanc rationem materiæ non sufficere ad rationem generis, quia hæc posset reperiri in prædicato potentis intelligere respectu differentie volitui, quod non habere rationem materiæ requisitam ad constituendam naturam genericam apud omnes est inconcussum.

9 Obiicies tertio: Animal abstractum ab individuis vnius tantum speciei prædicatur de illis ut prima pars quidditatis illorum: ergo prædicatur ut materialis: ergo ut genus. Respondeo animal sic abstractum ab his individuis, alijs nunquam cognitis non esse primam partem essentiae individuum, à quibus abstraheretur, quia tunc principium sensationis, & principium ratiocinationis essent prædicata infima essentialiter constituenta illa individua, sicuti modò principium intellectuum, & principium volitionum sunt prædicata infima essentiae hominis, quæ simpliciter differentie constituenti speciem infimam tribuunt.

PUNCTUM IV.

Quomodo prædicetur genus de individuis.

1 Duplex est individuum; quoddam completum, aliud incompletum. Individuum completum est illud, quod continet in se totam rationem specificam, & rationes omnes per quas potest contrahi ratio generica, sicuti Petrus, & hic homo, in quibus reperitur vltima differentia speciei infimæ contrahens rationes omnes superiores contracta per vltimam individuaalem differentiam. Individuum incompletum est illud, quod non continet totam essentiam speciei, sed tantum aliquod illius prædicatum præcisum ab alio cum quo componit speciem, & immediatè contractum per differentiam individuaalem, sicuti hoc animal, in quo rationale non consideratur, ut hoc rationale, in quo non inspicitur animal, licet enim animal confusè & implicite dicat gradum specificum, videlicet rationale; & hoc rationale eadem confusione inuoluat prædicatum genericum videlicet animal, expressè tamen, & distinctè hoc animal non dicit rationale, neque hoc rationale dicit animal.

2 Scio negari à Thomistis huiusmodi individua incompleta, quia putant animal tantum posse mediâ specie in individua multiplicari, non immediatè in individua diuisum. Ceterum si Thomistæ loquantur de multiplicatione reali, & à parte rei, animal neque mediâ specie, neque mediis individualibus differentibus multiplicatur, quia in his, quæ realiter sunt idem, non potest realiter mediatur, & immediatè reperiri, sed per se ipsum est plura individua per se ipsa multiplicata. Si verò sermo sit, ut oportet esse de multiplicatione per intellectum nullam rationem poterunt Thomistæ reddere, propter quam non possit intellectus diuidere immediatè animal in hoc animal, & illud animal non cognita differentia specificâ, quareve non possit intellectus prædicatum animalis cum sua differentia individuali non præscindere à rationali: Imò vulgari exemplo animalis à longè visi, in quo apprehenditur ratio animalis non apprehensa ratione rationalis, nostram conclusionem suadeo, quia tunc non tantum apprehendo animal ut sic, sed vnum individuum animal, & ex vi illius apprehensionis possum dicere animal visum est vnum numericè, & non possum dicere, est hinnibile, aut est rationale: ergo rectè potest per intellectum contrahi ratio animalis ad hoc numero animal differentia specificâ non apprehensa.

3 Affirmo naturam genericam immediatè prædicari de his individuis completis, non tamen formaliter ut genus, sed ut speciem respectu talis individui incompleti. Priorem partem conclusionis probabo. In hac prædicatione *hoc animal est animal* non mediat ratio specifica inter prædicatum & subiectum, quia hæc non est de conceptu prædicati, neque de conceptu subiecti, in quo tantum includitur ratio generica immediatè contracta per differentias individuales: ergo nihil mediat: ergo est prædicatio immediata. Posteriorè partem haud difficilior probabo: in hac prædicatione, *hoc animal est animal* prædicatum dicit expressè, & distinctè quiddam dicit subiectum seclusâ differentia individuali, ergo prædicatum dicit totam essentiam subiecti: ergo

subiecti: ergo non est prædicatio generis in qua prædicatum tantum dicit partem materialem essentie subiecti, sed prædicatio speciei, talis essentialiter dicitur ex eo, quod prædicatum dicat totam essentiam subiecti, seu totum quod dicit subiectum indiuiduum differentia indiuiduali seclusa. Confirmatur, & declaratur eadē ratio: si hæc prædicatio *hoc animal est animal* esset incompleta, quia prædicatum non diceret rationē rationalis sed hæc ratio non includitur in subiecto ut modò probauimus: ergo ex hoc capite non est incòpleta: ergo ex nullo: ergo est completa.

Obiicies in hac prædicatione *hoc animal est animal* includitur confusè & indistinctè ratio specifica ex parte subiecti, quæ non includitur ex parte prædicati: ergo non est prædicatio còpleta. Respondeo concedendo antecedēs, & negando consequentiam, quia ratio prædicationis còplet, & incompleta, non sumitur ex rationibus confusè significatis ex parte subiecti, aut ex parte prædicati, sed ex rationibus distinctè significatis. Quod si attendendum esset ad rationes confusè significatas, posset dici in hac prædicatione *hoc animal est animal*, confusè importari ex parte prædicati prædicatum rationalis eadem ratione quā dicitur importari ex parte subiecti.

Obiicies: Supremum genus potest prædicari immediatè de indiuiduo incompleto, in hac prædicatione *hæc substantia est substantia*, aut in illa *hoc ens est ens*: ergo datur species absque genere, quia nulla est ratio superior, quæ possit esse generica respectu generis supremi. Respondeo concedendo consequentiam, ex vi cuius nullum absurdum infertur, quia species tantum ut subiicibilis, & non ut prædicabilis, dicit ordinem ad genus, species autem illa prædicabilis esset & non subiicibilis.

Obiicies rursus: In hac prædicatione *hæc substantia est substantia* vel *hoc ens est ens*, prædicatum est supremum genus, & subiectum infimum indiuiduum: ergo inter utrumque debet poni prædicatum medium. Respondeo medium poni inter supremum, & infimum, in illa serie, quæ includit infimum, medium, & supremum in serie autem, quæ tantum includit duo extrema infimum, & supremum esse immediatè, huiusmodique esse seriem factam ex ente, & hoc ente, seu ex substantia, & hac substantia, si substantia est omnium supremum genus.

Circa indiuidua completa fert communis sententia de illis mediata tantum prædicari, & immediatè tantum de specie, & ideo animal prædicari de Petro, quia prædicatur de homine. Nonnulli recentes sententiam hanc sic impugnant. Species prædicatur immediatè de indiuiduo: ergo genus. Probatur consequentia, genus continetur in specie: ergo eo ipso quod species immediatè prædicatur de indiuiduis, de eisdem immediatè prædicatur genus. Vrgent: species prædicatur immediatè de indiuiduis non solum secundum differentiam, sed secundum se totam, ergo non solum species hominis prædicatur immediatè de indiuiduis secundum prædicatum rationalis, sed secundum prædicatum animalis: ergo animal immediatè prædicatur de indiuiduis. Non vrget hæc ratio, quia tantum probat animal ut inclusum in conceptu hominis, in quo cum rationali confunditur, prædicari immediatè de Petro, non verò ut præcìsum à rationali, sicuti significatur in hac prædicatione *Petrus est animal*, de qua est questio an sit prædicatio mediata, vel immediata.

Argunt secundò in hac prædicatione *Petrus est animal*, inter prædicatum, & subiectum non mediat homo quatenus animal, quia sub hac ratione non distinguitur à prædicato, non quatenus rationale, quia *Petrus* ut rationalis formaliter non est animal: ergo nullo modo. Responderi potest inter subiectum, & prædicatum huius prædicationis mediat hominem non secundum præcìsum conceptum animalis, neque secundum conceptum præcìsum rationalis, sed secundum simplicem conceptum hominis, quo animal rationale confunditur.

Instant: hæc prædicatio *Petrus est animal* rationale est immediata: ergo animal immediatè prædicatur de Petro. Respondeo animal iam contractum per rationale, in hoc complexo *animal rationale* immediatè prædicari de Petro ratione contractionis, quam habet cum animali, quod non est absolutè animal immediatè de Petro prædicari, sed mediata contractione ad rationale tenet se ex parte prædicati.

Alia me cogit ratio ad affirmandum genus immediatè posse prædicari de indiuiduis, quam sic constituo. Genus nihil aliud est quàm aggregatum quoddam indiuiduorum

Franc. de Quiedo, Philosoph. Tom. I.

pertinentium ad diuersas species: ergo licet possit immediatè diuidi in plures species diuisione quadam habente membra diuidentia vniuersaliaiora, poterit etiam immediatè diuidi in indiuidua, ex quibus coalescit. Rem explicet exemplo vlnæ, quæ constat ex semi-vlnis, & palmis, quæ potest immediatè diuidi in duas semi-vlnas, & postea quælibet semi-vlna in duos palmos, & potest etiam immediatè diuidi in quatuor palmos. Sic ergo, etiam si genus immediatè possit diuidi in plures species, ex vi aliis diuisionis potest diuidi in plura indiuidua, & sicuti ab alio aggregato plurium indiuiduorum potest immediatè extrahi species quædam in hac propositione *homo est animal*, ad quam contrahatur genus, & in qua extrahantur omnia indiuidua humana: sic ab illo aggregato potest immediatè extrahi vñ indiuiduum, ad quod immediatè contrahatur genus in hac prædicatione *Petrus est animal*. Confirmatur: extrahi ab illo toto generico speciem vnā nihil aliud est, quàm extrahi hæc omnia indiuidua singularia, quibus clauditur talis species: ergo sicuti extrahuntur hæc omnia simul in prædicatione generis de specie, poterit vnū extrahi in prædicatione speciei de indiuiduo. Vrgo: hæc prædicationes *homo est animal*, *equus est animal*, *leo est animal*, &c. in omnium sententia sunt immediatæ, etiam si genus potuit aliis vniuersalioribus prædicationibus adæquatè diuidi in hominē & brutum: ergo etiam si animal possit diuidi vniuersalibus prædicationibus in hominem, & quæ, &c. seu etiam si possit immediatè diuidi in membra diuidentia vniuersalia, potest immediatè in membra diuidentia singularia, sicuti omne totum constans pluribus partibus finitis, potest primò diuidi in partes diuisibiles, quæ rursus vltimò diuidantur, & potest primò immediatè diuidi in partes non vltra diuisibiles, seu in prima elementa ex quibus componitur.

Eandem conclusionem rursus confirmo. Eadem ratione, quā prædicatum aliquod abstrahitur ab inferioribus potest de illis prædicari: sed cognitis indiuiduis diuersarum specierum, v. g. cognitis his duobus equinis, tribus leoninis, & quatuor humanis potest ab illis immediatè abstrahi ratio animalis: ergo potest immediatè de illis prædicari. Maior est certa, quia eadem ratione, quā aliquid ab illo abstrahatur in illo reperitur, & eadem ratione, quā aliquid in aliquo reperitur potest de illo prædicari. Minorem probat: illa indiuidua possunt immediatè cognosci in ordine ad operationes in omnibus similes, siquidem in illis omnibus immediatè reperiuntur: ergo posset ab illis omnibus immediatè abstrahi quædam ratio communis generica.


Affirmo posse prædicari ex aliarum prædicationum genus de indiuiduis media specie, & de specie mediis indiuiduis. Prior pars admittunt ferè omnes, quia potest assumi ut medium ad probandum *Petrus* esse animal, quia est homo. Posteriorem ex eodem principio sic probat: animal potest immediatè prædicari de Petro, & de Ioanne, &c. ergo potest probari hominem esse animal, quia indiuidua sunt animalia, ergo potest animal mediis indiuiduis de homine prædicari. Probo priorem consequentiam: hic discursus est legitimus, *Petrus est animal*, & *Ioannes est animal*, &c. sed *Petrus*, *Ioannes* &c. est homo: ergo homo est animal. Confirmatur: potero ego postquam diuisero animal quod antea erat abstractum ab indiuiduis genere differentibus, in Ioannem, Petrum, hunc equum, & illum equum &c. rationes animalis repertas in Petro, & Ioanne adunari in hoc vno conceptu hominis, in quo confunduntur *Petrus*, & *Ioannes*, ex vi huius prædicationis *homo est animal*: ergo potest ratio generica vi intellectus mediis indiuiduis speciei attribui: ergo potest ratio generica mediis indiuiduis de specie prædicari.

Obiicies: Genus definitur in ordine ad species, & non in ordine ad indiuidua: ergo tantum dicit immediatum ordinem ad species. Responderi posset genus definiri in ordine ad species, & non in ordine ad indiuidua, quia ex ordine ad species in definitione expresso infertur ordo immediatus ipsius ad indiuidua, & ideo necessum non fuit illum exprimere terminorum multiplicatione. Melius tamen existimo responderi genus æquè definiri in ordine ad indiuidua, & in ordine ad species, quia genus non definitur per hoc quod est prædicari de pluribus speciebus, sed de pluribus differentibus specie, siue hæc quæ specie differunt sint species, siue indiuidua: recte enim indiuidua equina dicuntur specie differre à singularibus leoninis, sicuti dicuntur specie differre homo, & equus. Abstrahitur in hac definitione generis quod prædicatur de pluribus differentibus

*differentibus specie in eo quod quid ab speciebus, & indiuiduis, & sensus illius est, quod prædicatur de pluribus differenti-
bus secundum prædicatum specificum, differunt autem se-
cundum prædicatum specificum Petrus, & Brunus hic
equus, sicut homo, & equus.*

- 14 Obiicit: genus ut genus prædicatur de pluribus dif-
ferentibus specie: sed quando animal v.g. prædicatur im-
mediatè de Petro, & Ioanne, non prædicatur de pluribus
differentibus specie: ergo non prædicatur ut genus. Eadem
ratione posset inferre, non prædicari ut genus, quando præ-
dicatur de specie hominis, seu de homine secundum con-
ceptum communem. Respondeo genus non solum esse præ-
dicabile de pluribus differentiibus specie, sed etiam de plu-
ribus inter se tantum numero differentiibus, & specie ab
aliis. Quando autem prædicatur de Petro, & Ioanne, non
prædicatur ut actu genus, sed tanquam natura quæ ante-
cedenter ad prædicationem erat genus formaliter apprehen-
sa simul cum aliis instar vnus communis pluribus spe-
cie differentiibus.

- 15 Inquiri solet an eodem respectu, quo genus respicit
speciem, respiciat indiuidua in illis contenta, cui quæstioni
respondeo eodem respectu, quo attingit species attingere
indiuidua cuiuscumque speciei, ut confusè, & instar vnus
significata in specie propria, non tamen indiuidua ut inter
se distincta, quia diuersus actus est, quo comparatur ani-
mal ad hominem sub hoc conceptu confuso hominis, ab
actu quo comparatur ad Petrum, & Ioannem, & reliqua
indiuidua ut inter se distincta.



CONTROVERSIA V.

De specie, & indiuiduo.

RIPLICITER sumi solet species: primò
improprie pro quacumque eleganti & pul-
chra forma, quo sensu dicitur præstantem
speciem dignam esse imperio. Secundò su-
mitur pro specie Logica, quæ est correlatiua gene-
ri. Tertiò pro specie Logica, quæ ad indiuidua re-
fertur. Has tres acceptiones adducit Porphyrius;
qui de specie secundo, & tertio modo sumptà agit
capite de specie, cui annexit disputationem de in-
diuiduo, quia indiuiduum correlatiuum est generi
& speciei. Nos ergo de specie utroque modo sum-
ptà, & indiuiduo cum Porphyrio Controuersiam
hanc instituimus.

PUNCTVM PRIMVM.

De specie subiicibili.

- 1 Species subiicibilis definitur à Porphyrio duplici defi-
nitione. Vna est, quæ subiicitur generi; alia quæ ab
assignato genere collocatur. Pro explicatione harum
definitionum, noto speciem aliam esse infimam, seu
atomam, aliam mediam, seu subalternam. Species in-
fimæ dicuntur homo, & equus, & alix huiusmodi, quæ
non in alias naturas, sed tantum immediatè in indiuidua
possunt diuidi. Species subalternæ seu mediæ sunt illæ, quæ
respectu inferiorum genera appellantur, respectu su-
periorum species dicuntur. Adde genus immediatum
supremum posse dici speciem supremam, quia supremum
est omnium, quæ species dici possunt in ordine ad aliud
prædicatum superius, supremum enim genus, quod illo
est vniuersalius, in ordine ad nullum prædicatum species
potest nuncupari. Ex his, quæ diximus de generibus su-
premo, medio, & infimo omnia videlicet eadem defini-
tione definiri, & tantum numero differre, idem inferen-
dum est de specie subiicibili.
- 2 Primò contra has definitiones solet obiici vitiosum
circulum in illis committi, quia definitur genus per spe-
ciem, & species per genus, ac proinde idem per idem,
quia si definitio speciei est, quæ subiicitur generi, & genus
definitur, quod prædicatur de pluribus differentiibus spe-

cie, idem erit dicere, species est, quæ subiicitur ge-
neri, ac dicere, species est, quæ subiicitur illi, quod
prædicatur de pluribus differentiibus specie, & per spe-
ciem species definitur. Communis solutio est genus de-
finiri per speciem, & speciem per genus, nihilominus in
definitione speciei non poni genus ut cognitum per spe-
ciem, sed ut cognitum aliunde; saltem cognitione confu-
sà, quæ comparari potest sine ordine ad speciem. Hac ra-
tione circulus non committetur, neque definitur idem
per idem, nam si definiatur, species est, quæ subiicitur ge-
neri, si rursus petas explicationem huius vocis generi positæ
in definitione, non tibi per speciem, sed ex alio capite
reddetur.

Facilius res componetur si genus definiatur, quod præ-
dicatur de pluribus per modum partis materialis, quæ posita
definitione absque timore vitiosi circuli constare pote-
runt definitiones adductæ de specie subiicibili. Adhuc
tamen stando definitioni à Porphyrio traditæ negari
potest genus definiri per ordinem ad speciem, quia ut
dicebam supra, genus non definitur per hoc, quod est
prædicari de pluribus speciebus, sed pluribus differenti-
bus secundum prædicatum specificum, quod est dicere de
pluribus notabiliter differentiibus siue illa species sint, siue
indiuidua.

Secundò contra has definitiones obiicitur, vtramque
competere indiuiduo de quo genus prædicatur, & quod
generi subiicitur. Responderi Ariaga disp. 7. sect. 2. indi-
uiduis non competere subiicibilitatem immediatam res-
pectu generis, quam importat definitio, neque de illis
genus immediatè prædicari, ac proinde speciem tantum
hac definitione comprehendere. Solutio hæc impugnanda
est ex dictis Controuers. 4. ubi probaui æquè immediatè
posse genus prædicari de indiuiduis, & de specie. Sed
est indiuidua mediatè tantum generi subiiciantur, differ-
entia hæc sufficiens non est, ut distinguat speciem sub-
iicibilem ad indiuiduo, quod sic probo. Hæ prædicationes
homo est animal, & homo est corpus æquè primò perti-
nent ad primum prædicabile, licet animal immediatè, &
corpus mediatè de homine prædicentur, si verum est ani-
mal mediatè prædicari de indiuiduis: ergo in definitione
generis prædicabilitas abstrahit à potentia prædicandi
proximè, vel remotè, quia huiusmodi differentia per acci-
dens se habent respectu generis, quod tantum dicit esse
prædicabile de pluribus per modum partis materialis siue
prædicatione proxima, siue remota.

Melius responderi Hurtadus disp. 5. sect. 1. speciem &
indiuiduum in ratione subiicibilium tantum differre acci-
dentaliter, quia vtrique generi tanquam parti mate-
riali subiicitur, & hæc differentiam explicandam esse per
particulam soli additam in definitione speciei, quæ erit
species est quæ subiicitur soli generi. Modus iste dicendi non
tuetur definitionem alteram, videlicet de qua genus in quid
prædicatur, cui illa particula soli non debet addi, quapro-
pter melius existimo responderi subiicibilitatem speciei,
& indiuidui non distingui ratione termini, quia vtraque
respicit genus, differre tamen ratione fundamenti, quia
subiicibilitas indiuidui fundatur in natura physice, & in-
tentionaliter vnà & subiicibilitas speciei fundatur in na-
tura intentionaliter vnà, & multiplici physice, & reali-
ter: secundum hanc doctrinam species subiicibilis defi-
nienda est natura in se multiplex, & intentionaliter vnà,
quæ generi subiicitur. Ex eodem capite ad speciem coarctanda
est altera definitio de qua genus in quid prædicatur, quæ sic
proferenda est natura in se multiplex, & intentionaliter vnà
de qua genus in quid prædicatur. Neque definitiones istæ à
Porphyrianis discrepant, quia naturam intentionaliter
vnam, & physice multiplicem, quam nos in defini-
tionibus expressimus, Porphyrius in illo relatiuo in-
uoluit de qua genus, &c. & quæ subiicitur, &c. neque cri-
men fuit in Porphyrio illam non explicasse, quia Porphy-
rius non intendebat explicare naturam speciei secundum
se, sed speciei ut respicientis genus, & ita tantum
curauit de exprimenda differentia, ex vi cuius respicit
genus supposita naturâ speciei aliunde notâ, vel cognos-
cendâ, & ita definiuit, quæ subiicitur generi, seu de qua ge-
nus prædicatur, hoc est, species generi subiicibili, & species de
qua genus prædicari potest, adductâ ipsâ specie in definitio-
ne, sicuti cum nos intendentes explicare veritatem
propositionis propositionem veram definimus propo-
sitionem ex vi cuius dicitur res sicuti est, in qua definitione
propositio